

16.

# N a c h r i c h t

über das

## Königliche Pädagogium zu Halle.

Herausgegeben

von

**Dr. G. Kramer,**

Director des Königlichen Pädagogiums und der Franke'schen Stiftungen.

---

Achtundzwanzigste Fortsetzung.

---

### Inhalt:

- I. De Euripidis Phoenissarum versibus suspectis et interpolatis. Scripsit Herm. Theod. Trautmann, Phil. Dr.
- II. Schlußnachrichten über das Königliche Pädagogium, vom Director.

---

Halle,

Druck der Waisenhaus-Buchdruckerei,

1863.





Inhalt

- 1) Einleitung
- 2) Die Geschichte der Provinz Sachsen
- 3) Die geographische Lage
- 4) Die Naturgeschichte
- 5) Die Geschichte der Provinz Sachsen
- 6) Die geographische Lage
- 7) Die Naturgeschichte
- 8) Die Geschichte der Provinz Sachsen
- 9) Die geographische Lage
- 10) Die Naturgeschichte

Königliche Provinzial-Schulinspektion zu Halle

Die Provinzial-Schulinspektion zu Halle hat die Ehre, Ihnen hiermit anzuzeigen, dass die von Ihnen eingereichten Anträge in Bezug auf die Aufnahme neuer Schüler in die hiesigen Schulen, wie folgt erledigt worden sind:

1. Der Antrag des Herrn ... ist genehmigt worden.

2. Der Antrag des Herrn ... ist abgelehnt worden.

3. Der Antrag des Herrn ... ist genehmigt worden.

4. Der Antrag des Herrn ... ist abgelehnt worden.

5. Der Antrag des Herrn ... ist genehmigt worden.

6. Der Antrag des Herrn ... ist abgelehnt worden.

7. Der Antrag des Herrn ... ist genehmigt worden.

8. Der Antrag des Herrn ... ist abgelehnt worden.

9. Der Antrag des Herrn ... ist genehmigt worden.

10. Der Antrag des Herrn ... ist abgelehnt worden.

H. O. Kramer

Director der königlichen Provinzial-Schulinspektion zu Halle

Königliche Provinzial-Schulinspektion

Inhalt:

I. Die Provinzial-Schulinspektion zu Halle hat die Ehre, Ihnen hiermit anzuzeigen, dass die von Ihnen eingereichten Anträge in Bezug auf die Aufnahme neuer Schüler in die hiesigen Schulen, wie folgt erledigt worden sind:

1. Der Antrag des Herrn ... ist genehmigt worden.

2. Der Antrag des Herrn ... ist abgelehnt worden.

3. Der Antrag des Herrn ... ist genehmigt worden.

4. Der Antrag des Herrn ... ist abgelehnt worden.

5. Der Antrag des Herrn ... ist genehmigt worden.

6. Der Antrag des Herrn ... ist abgelehnt worden.

7. Der Antrag des Herrn ... ist genehmigt worden.

8. Der Antrag des Herrn ... ist abgelehnt worden.

9. Der Antrag des Herrn ... ist genehmigt worden.

10. Der Antrag des Herrn ... ist abgelehnt worden.

Halle

Verlag der Provinzial-Schulinspektion

1868





De  
**Euripidis Phoenissarum versibus suspectis et interpolatis.**

Valckenarius, quamquam hunc virum doctissimum de interpretanda ac restituenda fabula nostra optime meritum esse nemo facile negabit, tamen ne G. Hermanni gravi vituperatione dignus sit vereor; quippe qui primus omnes versus, qui aliqua de causa displicebant et a poeta omitti potuisse videbantur, in suspicionem vocare ausus sit. Tali enim audacia omnem illam reverentiam, qua antea fabulae Euripideae a criticorum arbitrio defendebantur, removit atque libidini recentiorum interpretum omnes versus, in quibus quodammodo offendebant, pro spurriis suppositisque habendi patefecit viam. Etenim quamquam Valckenarius, qui fere XXV totius fabulae versus damnaverat, monuerat „viros haec pervestigaturos, ut meminerint τὸ μηδὲν ἄγαν,“ tamen recentissimi critici et editores viro collegas sapienter dehortanti non obtemperaverunt. Hartungus enim in ea commentatione, quae Iphigeniae Aulidensis editioni praemissa est, plus centum versus impugnavit et Kirchhoffius quoque numerum versuum aliis suspectorum aliquantum auxit. Atamen fuerunt, qui poetam a criticorum arbitrio fortiter defenderint. Porsonus atque imprimis Hermannus versus Valckenario suspectos aut leniter mutantes aut nova ratione interpretantes tueri studuerunt. Sed ut in vituperando Hartungus sic Firnhaberus in libro suo „Die Verdächtigungen Euripideischer Verse“ etc. inscripto iustum modum excessit in defendendo. Quare in disputatione de Phoenissarum versibus suspectis et interpolatis mediocritatem, quae est inter nimium et parum, tenentes nos rectissimam viam ingressuros esse, mihi persuasissimum est.

Prius autem quam ad singulos versus accedamus, pauca praemittam de variis causis, quibus ducti editores in poetae reliquias saevierint. Atque primum quidem illis non pauci versus per se displicebant atque suspecti videbantur; aut enim in argumento aut in insolenti verborum usu aut in molesta orationis ubertate offende-



bant aut denique odorem quendam interpolationis sentiebant. Condimentum autem interpolatoris sapere opinabantur eos versus, qui orationis ornandae aut explicandae causa additi esse aut, quum locos quos vocant communes continerent, iniuria irrepsisse videbantur. Deinde permultos versus eiecerunt propter rationem, quae inter eos intercedebat et inter alios aut nostrae aut alius Euripideae fabulae aut etiam aliorum poetarum. Alios enim putabant non convenire vel potius repugnare proximis versibus aut omnino aliis quibusdam fabulae, alios laedere stichomythiae legem, quam poeta alias semper accurate servasset. Magnum denique versuum numerum damnarunt critici, quia aut maximam partem aut ad verbum cum aliis congruerent Euripideis vel Sophocleis. Restant externae causae, quibus commoti editores complures versus Euripidi abiudicare voluerunt. Nam eos quoque in suspicionem vocarunt, quos nonnulli codices omiserunt, aut quos veteres scriptores videntur non legisse.

Sed nunc ad opus nostrum, quod haud exiguae difficultatis est, accedamus atque ingentem versuum suspectorum numerum ratione modo dicta in classes descriptum quam accuratissime examinemus.

Exordiamur igitur ab iis versibus, qui propter argumentum et dicendi genus suspecti visi sunt:

568<sup>1)</sup> γενήσεται Θήβαισι, φιλότιμος δὲ σὺ.

Valck. hunc versum ut spurium et infictum damnavit, frigida esse existimans praecipue ultima verba *φιλότιμος δὲ σὺ*, praesertim quum similia poeta in exordio orationis posuerit: *Τί τῆς καλίστης δαιμόνων ἐφίεσαι Φιλοτιμίας*; — Sed ob eam ipsam causam illa verba servanda sunt, quae magna cum vi in fine orationis eandem sententiam repetunt, a qua Iocasta profecta est. Sententiarum enim nexus est hic: Ecce omnia mala Thebis propter tuam ambitionem imminentiā — tu, homo ambitiose, illorum auctor eris. Similiter dicit Peleus (Andr. 641) graviter in fine longae orationis Menelao:

κώδιστον βροτοῖς  
πένητα χρηστόν ἢ κακὸν καὶ πλούσιον  
γαμβρὸν πεπᾶσθαι καὶ φίλον· σὺ δ' οὐδὲν εἶ.

Deinde Valck. e Scholiastae annotatione ad praecedentem v. *ἔστι δὲ τοῦτο συμπέρασμα τῶν ἔνω* concludit, v. 567 Iocastae adversus Eteoclem disputationem finiri.

1) Utor in Phoenissis Kirchhoffii numeris codicumque notis, in reliquis fabulis Euripideis Witzschelii.



Contra Hermannus iure monet, Scholiastam annotatione sua etiam hunc versum Valckenario suspectum complexum esse, qui non modo non languidus aut inficetus, sed potius accommodatissimus et gravissimus sit. — Geelius Valckenarium, ut solet, fortiter defendens suspicatur, verbis *φιλότιμος δὲ σὺ* olim suppletam esse lacunam in codice, unde vera poetae verba evanuerint; exspectare se huiusmodi versum: *γενήσεται Θήβαισιν, ὄδνηρός δὲ σοί.* Tali satis lubrica emendatione orationis vim valde infringi quis intelligit. — G. Dindorfius non solum hunc, sed etiam antecedentem versum eiicit. „Utroque eiecto, ait, Iocastae ad Eteoclem orationem gravissimis finiri verbis; absurdam esse illam ieiunam appendicem, in qua nullus plane animi motus conspiciatur.“ Ego vero statuo, Iocastam duobus illis versibus totius orationis argumentum maxima cum vi breviter complecti. *631. οὐχ ἔκων γὰρ ἦλθον, ἄκων δ' ἐξελαίνομαι χθονός.* Valck. annotat: „vera quidem haec esse, sed odiose repetita, quum abhinc tertio versu Polynices dixerit: *ὡς ἄτιμος οὐκ ἐρὰ πάσχω ἐξελαίνομαι χθονός.* Quare esse eruditi lectoris optionem, Euripidine versus inutilis sit attribuendus an interpolatori; se posterius eligere.“ Cui assensi sunt omnes editores; iure tamen Geel. et Kirchl. alterum tantum versus dimidium *ἄκων ἐξελαίνομαι χθονός* (quod e v. 628 librarii errore huc retractum esse suspicatur Kirchl.) reprehendunt, quandoquidem, qui vi eiiciatur, profecto *ἄκων* abeat. Geel. exspectare se dicit: *ἄκων δ' ἐχθρός ἐγγράμπτω χθονός.* Tale quid poetam scripsisse mihi persuasum est. Prius autem versus dimidium Valckenario molestum, quamquam similis sententia iam supra dicta est, non offendit, sed potius necessarium est, quum antecedentis versus causam afferat. *637 et 638 ἔξειδ' ἐκ χώρας ἀληθῶς δ' ὄνομα Πολυνείκην πατῆρ* proscribit Hartungus, „quod pridem Eteoclem verbis *ἐρρέτω πρόπας δόμος* dictis cum matre simul discessisse necesse sit.“ — Hoc argumentum nihil valere, sed potius ipsa re demonstranda niti quis intelligit. „Eteocles, pergit Hart., si ad res tam graves, quantas continet hic monologus (sic nominat H. Polynicis orationem, quod Eteocles scenam iam reliquerit) respondere vellet, sane, qua erat animi ferocia morumque ingenuitate, non stolidissimo commento nomini fratris tribueret, quod sua imperandi cupiditate effectum esse sentiebat.“ — Ut ea vituperaret commotus esse videtur Hartungus his Quintiliani verbis (Inst. V. 10, 31): „Nam et illud apud Euripidem frigidum sane, quod nomen Polynicis ut argumentum morum frater incessit.“ — Sed neque Quintiliano neque Hartungo concedo, illos versus non



convenire ingenio et moribus Polynicis. Immo irrisiois et acerbitalis tam pleni sunt, ut Eteocles fratri abeunti mordaciora verba acclamare non potuerit. Scite iam H. Grotius (Prolegomena in Phoen.) de his verbis dicit: „Erat hoc illorum temporum, quod nominibus infantium, quae lustrico sive nominali die sociis adhibitis indebantur, vim quandam vaticinam inesse crederent.“ — Denique Euripidem sic nominum significationem respicere solitum esse infra ad v. 29 fusius docebo.

971 et 972 *αὐτὸς δ', ἐν ὡραίῳ γὰρ ἔσταμεν βίῳ,  
θνήσκειν ἔτοιμος πατρὶδος ἐκλετήριον*

damnat Herm., qui alias poetae verba paene nimis anxie tueri studet, causis nihil idoneis commotus. „Vereor, inquit, ne sint illi versus ab histrionibus inserti, quo paternus amor Creontis magis elucesceret. Si Eur. eos scripsit, vix aliter defendi possunt, quam ut Creontem dicere putemus, si suam animam dii accipere velint, sese moriturum. Nam si serio suam animam offert, ineptus est, qui modo ex Tiresia audiverit, talem ex Spartis mactandum esse, qui non modo uxorem non habeat, sed ne desponsatus quidem sit.“ — Recte, sic illi versus explicandi sunt; et quid est naturae convenientius, quam quod pater dolore oppressus exclamat: Paratus essem pro te mori, (si mihi liceret)! Nihil enim nos impedit, quominus ad verbum *ἔτοιμος*, quod apud Graecos verbo substantivo *εἶναι* (uti quoque *πρόθυμος*, alia) saepissime caret, *ἦν* suppleamus. Nam et Creon non ignorat, pro filio mori sibi non licere et Menoecus, patrem illa non serio dixisse; quare hic (id quod Herm. ad suam sententiam firmandam tenet) illam patris exclamationem in responso velut non prolatam negligit, quae silentio non praetermittere debuisset, nisi et pater et filius vatis dictum eodem modo ac nos intellexissent. Quo simul alterum quoque Hermanni argumentum reiectum est: „stultum fore Creontem, si coram filio se revera pro illo moriturum ostenderet, qui vereri deberet, ne eum non posset ad fugam cappendam permovere. Menoecum contra stolidum aut hebetem spectatoribus videri debere, si ita fugam simularet, ut aequo animo patrem pro se mori ferret.“ — Hermanni sententia denique maxime debilitatur simillimo Hecubae loco (386 sqq.), ubi Hecuba, quamquam non ignorat, filiam flagitari mactandam, suam animam offert (cfr. 98. 220. 305). Neque ipsa Polyxena, ut hic Menoecus, ullum verbum de magnanimitate matris facit.

Non opus est Geelii interpretatione: „Creontem haec aversum a filio ac submissiore voce pronuntiare, ne filius ea audiat.“ Hoc enim artificio scenico, nostris poetis usitatissimo, antiqui satis raro utebantur et apud Nostrum, quod sciam, semel



tantum invenitur Hel. 1197, ubi Theoclymenus clara voce οὐδέν τι χαιρῶ σοῖς λόγοις, deinde submissa τὰ δ' ἐντυχῶ dicit.

992 προσηγορήσων εἶμι καὶ σώσω βίον  
expungit Hartung. utpote partim e v. 1000 partim ex interpretum additamentis conflatum. „Nam, inquit ille, obsecro, quid hoc est μολῶν προσηγορήσων εἶμι?“ — Respondeo: Ibo, ut valedicam Iocastae (similiter Medea v. 1069 παῖδας προσηγορεῖν βούλομαι, cfr. Ion. 665). — „Cur porro, ut ipse amitam adire possit, patrem abire iubet?“ — Non ob eam, quam simulat, causam id dicit, ut quis intelligit, sed, quod sequentia verba docent, ut patrem amoveat. Hart. pergit: „amitae additionem supervacaneam esse, immo Creontem a filio rogari, ut ad Iocastam eat eamque de sua morte certiore faciat.“ — Sed ubinam Menoeceus expuncto illo versu patrem adhortatur, ut cum sorore illud communicet? Nihil dicit nisi: I nunc ad Iocastam, quae mammam mihi praebebat; auditores igitur nescirent, quid Creon ibi facturus esset. Accedit quod ὡς v. 989 non idem ac πρὸς esse potest, ut Hart. vult, quum una praepositio admitti potnerit.

1206 καὶ νῦν γὰρ αὐτὴν δαιμόνων ἔσωσέ τις.

„exstat in ABC, deest in ceteris omnibus“ Kirchh. — Herm. eiecit hunc versum, quia „non praecesserit spei alicuius commemoratio et debilitet subiecta importune spes praegressa verba metu non vacua.“ Geelius assentiens Hermanno addit: „neque sequentibus aptum esse hunc versum, ubi chorus respondeat, quasi ille non intercesserit.“ — Cur ille versus proximis non conveniat non intelligo; sententiarum enim nexus est hic: Num in posterum quoque tempus haec terra felix futura sit, penes deos est, qui nunc urbem servarunt. Deinde chorus: Pulchrum est vincere; sin etiam melius quid dii afferant, felix sim. Ἄν particula eodem modo ommissa est Pind. Ol. III. extr.

1269 et 1270 καὶ τὰθλα δεινά· δάκρυά σοι γενήσεται

δισσοῖν στερεῖσθ τῆδ' ἐν ἡμέρᾳ τέκνον.

Valck., comprobante solo Bernhardy (comm. de Graec. litt. II. 2 p. 443) hos versus damnat, „quorum alter hariolum potius deceat, quam armigerum Eteoclis.“ — Iure ei alter displicet; etenim si certamen singulare instituitur, speramus, alterum pugnatorem vivum victoremque abiturum esse; quod chorus quoque v. 1301 dicit: πότερον ἄρα νέκυν δλόμενον λαχρήσω; Comparari non possunt, quibus Firnhaber nititur, Iocastae verba (1279) ἔρρει σὺν κασιγνήτων βίος, quae nihil aliud significant nisi: vita tuorum fratrum in summo periculo est. Accedit, quod matris quidem metui, non autem nuntii convenit, periculum in maius verbis extollere. Valcke-



narii suspicio, interpolatori Antigona Sophocleae verba (v. 13 et 14) *δυσὸν ἀδελφοῖν ἐστερήθημεν δύο Μιᾷ θανάτου ἡμέρα* obversata esse satis probabilis est.

Minus idonea sunt argumenta, quae ille contra priorem protulit versus „tanto luctui lacrymas parum respondere.“ — Iure Firnhaberus: *δάκρυα* translate dictum esse pro magno luctu atque querelis. — Quod ille addit: „*τᾶθλα* dici non potuisse a tragico,“ id non perspicio, quum illud simplicissimum craseos genus sit. Herm. pro *δεινά* scripsit *δείν' ἄ*, Firnhab. male post *τᾶθλα* distinguit, quia caesura repugnat. Mutatione non opus est; *δεινά* autem cum *ἄθλα* coniungendum est, quo efficitur hic sensus: „nam periculum est magnum et praemia certaminis terribilia erunt; lacrimae tibi obvenerunt.“ Iure nuntius ita dicit; nam, utrumcumque vicerit, Iocastam altero privatam luctu affici oportebat. Denique hic versus servandus est, quippe qui subtili et sophistico, ut ita dicam, Euripidis dicendi generi accommodatissimus sit.

1435 *σὺν παρθένῳ τε καὶ προθυμίᾳ ποδός.*  
Valck.: „interpolatorem, ut lectorem de Antigona matrem comitante moneret, adiecissee *σὺν παρθένῳ* atque versus explendi causa ex Ione 1109 (*τίς προθυμία ποδῶν ἔχει σε;*) *προθυμία ποδός* adiecissee. Hic satis fuisse matrem commemorasse, filiam suo loco non neglegi“ (v. 1440) — Herm., etsi Valckenario adstipulatur, tamen non credit tam absurdum fuisse interpolatorem, ut diversissima per *τε καὶ* coniungeret, sed scripsisse pro *τε καὶ* — *τέχνους*. Recte de hoc Geelius: „scripsisse ista pessimum versificatorem Hermanni auxilio indignum.“ Firnh., qui putat, Antigona commemorandam fuisse, citra necessitatem *προσπελῆ* vel simile quid commendat pro *προσπίτνει*, quod adveniendi sensum non habeat. Similiter enim Eur. Bacch. 1115 de Agave dicitur *προσπίτνει νιν* „ruit in filium;“ accusativus autem pro notione illius verbi sexcenties omitti solet.

1470 *κἄν τῷδ' ὑπεξῆλθ' Ἀντιγόνη στρατοῦ δίχα.*  
Valck. damnat hunc quoque versus utpote „ab eodem interpolatore conflatum atque pro versu perditio substitutum; id apparere e vv. praecedentibus, ubi vicissim verbis *οἱ μὲν* — *οἱ δέ* Thebani et Argivi significentur. Quare expectari hoc loco versus *οἱ μὲν* in fronte gerentem, qui de Thebanis loquatur, sicut sequentem denuo Argivos ad arma ruentes spectare.“ — Non verisimile est, quinque versus sese excipientes exortos esse a verbis *οἱ μὲν*, *οἱ δέ*. Nullus enim Euripideus locus invenitur, qui languidam illam et inauditam dicendi rationem excusare possit.<sup>1)</sup> Non

1) Epici tamen poetae illo dicendi genere, quod *ἐπιμονή* dicitur, interdum usurpa-



magis statuere licet vv. 1469 et 1471 a poeta nullo interposito versu coniunctos esse. Tunc enim v. 1471, ut totus versus praegressus, verba *οἱ δ' εἰς ὄπλ' ἦσαν* ad Thebanos, non, quod vult poeta, ad Argivos referrentur. Quodsi nullo modo versu inter 1469 et 1471 posito carere possumus, tuetur illum a codd. traditum, quamvis valde nobis displiceat. Et rectissime Geelius: „Illo expuncto tantae difficultates oriuntur, ut nihil moveri praestet.“ —

Deinde Valck. iniuria in verborum usu offendit (id quod fieri solet, si quis omni modo suam sententiam firmare studet): „non dici *ὑπεξελθεῖν στρατοῦ*, neque, si ponamus, *δίχα στρατοῦ* coniungenda esse, ea ferenda esse, quum nihil aliud significant nisi „sine exercitu“ vel „seorsim ab exercitu.“ — Non intelligo, cur haec posterior verbi significatio displicere possit. — Gravius est ultimum eius argumentum: „dedecere Antigonom nullam curam habere *τῶν φιλικίων*, cadaverum fratrum atque matris, de sua tantum vix vitali vita male sollicitam.“ — Confiteor Valckenarium aliquid dixisse, quamvis subtiliter et argute Herm. et Firnh. poetam excusare studeant. Ut denique paucis meam sententiam complectar: etsi et sententia et sedes huius versus nobis displicent, tamen vix eiici potest.

1639 et 1640 καὶ παρθενέον κτλ.

Dindorfius dicit, se non dubitare, quin a grammatico aliquo conficti sint, homine loquace nec sentiente, quid Creontis personam deceat. — Sed quid in his Creontem dedecet? Quum vir doctus suspicionem suam argumentis non firmaverit, non opus est, ut eam pluribus reiiciam.

1646 τί τόνδ' ὑβρίζεις πατέρ' ἀποστέλλον χθονός;

Valckenario displicet hic versus, quippe quem velut non prolatum prorsus neglegat in responso Creon; artificiosam Creontis et Antigoniae disputationem versari in uno tantum cardine, cadavere scilicet fraterno neque usquam illam patris exilium deprecari, immo non ingratum sibi fore significare v. 1681 (*ξυμφέρομαι τῶδ' ἀθλιωτάτῳ πατρί*); praeterea *ἀτάρ* particulam, quae (quod negari non potest) ad novum aliquod transitum facere soleat, indicium praebere, non de patre verba facturam esse Antigonom.

runt, velut Hom. II. α 436 sqq. quattuor versus sese excipientes exoriuntur a verbis *ἐκ δέ* — ibid. z 228 sqq. quattuor versus ab *ἦθελε, ἦθελέτην*. Quodammodo comparari possunt hi Sophoclis loci O. C. 1245, ubi in chori cantico quattuor versus a verbis *αἰ μέν, αἰ δ'* incipiunt et El. 542 sqq. ubi in fronte trium versuum inveniuntur *ἦ τῶν, ἦ τῶν, ἦ τῶ*.



Primo Valckenarii argumento, illam Antigoniae interrogationem postea non respici, Firnh. in longa et diligenti disputatione occurrit, qua demonstrare studet, saepius ad quaestiones quasdam non responderi. Huius tamen exempla ad nostrum locum nihil valere accurate demonstravit Geelius. — Omnes difficultates removet felix Siebelisii coniectura *εἰ* pro *τί* scribentis, quam Herm. non dubitavit recipere. Satis obscure Geelius: „Illa correctione nihil lucramur; manebit enim, Antigonia exilium patris pro vera *ὑβρεῖ* habere. Itaque fit quidem Creonti, admissio *εἰ*, respondendi otium, Antigoniae vero iudicio et excelsae indoli non satisfacit Siebelisius: requirunt haec ut regia virgo exilii istius duritiam deploret eiusdem vero necessitatem sentiat, nec culpam in Creontem conferat.“ — Loci sententia rectissime se habet. Antigonia interrogat: „Quodsi patrem per vim e patrio pellis, cur tandem fratrem quoque vis sepultura privare?“ Illa enim, quae e Creonte Tiresiae vaticinium audiverat, Thebas felices non fore, priusquam Oedipus in exilium missus sit, vatis quidem honoratissimi verbis se accommodat, iure autem quaerit e tyranno, quamvis causa commotus etiam mortuum turpitudine afficere velit, praesertim quum puella Eteoclis mandatum, ne quis Polynicem sepeliret, nondum cognoverit.

Progrediamur ad eos versus, qui criticis propter insolentem verborum usum suspecti visi sunt.

429 *Τυδεΐ τε καὶ μοί, σύγγαμος γάρ εἰμι ἐμός.*

Damnavit hunc versum Iortinus, quem Brunck. Porson. Kirchh. secuti sunt. — Recte intellexerunt interpretes, *σύγγαμον* esse apud Euripidem ubique „eiusdem lecti participem“ atque significare aut eum, qui cum alio una eademque uxore utatur aut eam, quae cum alia eundem maritum habeat. Valckenarius: „Nostro loco *σύγγαμος* dicitur, qui vulgo *σύγγαμβρος*.“ — Nihil coniectura Hermanni *ἐμοί* pro *ἐμός* scribentis lucramur, quam ille explicat: „Videtur *σύγγαμον* sibi dixisse, qui eodem quo ipse die nuptias fecisset. Geel. *συμφυγός* pro *σύγγαμος* scribens textum non corrigit, sed potius pro arbitrio aptum vocabulum poetae obtrudit. Acquiescamus in Valckenarii interpretatione, quum Eur. interdum verbis latiore sententiam tribuere soleat, ut v. 948 Haemoni adolescenti *ἠΐθεόν* nomen denegat, quamquam desponsatus tantum, non matrimonio coniunctus erat cum Antigona.

1108 *δρόμῳ ξυνῆψεν ἄστρῳ Καδμείας χθονός.*

„aut graviter corruptus aut spurius“ Kirchh. — Musgravius hunc locum recte sic explicat: *τάφρον* vallum, teli iactum vel etiam longius a muris distare; unde Adrastus mox (v. 1195) repulsum a muris exercitum *ἔξω τάφρον καθίσεν*. Argivos igitur, quum ad *τάφρον* intra teli iactum venissent, reliquum spatium cursu confecisse,





quo celerius muris succederent. Passovius recte vertit: „die Stadt durch Lauf sich nahe bringen i. e. sich der Stadt nähern.“ Apud Polybium similiter *συνάπτειν* absolute dictum significat: appropinquare, velut III, 93, 5 *τοῖς ἄκροις συνάπτειν* ad montes pervenire, V, 66, 4 *εἰς Σελεύκειαν συνάπτειν*.

1242 *σπαρτιῶν τε λαὸς ἕλις, ὅσος κέῖται νεκρός.*  
 A Valckenario hic versus inclusus est, quippe qui „indignus sit imprimis Eteoclis hactenus victoris persona.“ Opposuit Geel. Eteoclem humanitate plenum v. 1234 sqq. similem sententiam dixisse. Et cur non concedamus, eum humanitate non prorsus caruisse? Pergit Valckenarius: „Si Graece dici potest *λαὸς ἕλις, ὅσος κέῖται θανάων*, non tamen ita loqueretur Euripides.“ — Cur Euripidi idem quod aliis non licuerit, non perspicio. Rectius Geel. vituperat poetam, quod orationis concinnitatem non servaverit. Expectari enim: „Vos, Argivi, in patriam reditote neque hic morimini; et Vos, Thebani, qui iam sat multi hic mortui iacetis, revertimini in urbem.“ Quare versum aut resecandum esse tamquam supervacaneum aut sic corrigendum: *σπαρτιῶν τε λαὸς πόλιν ἕλις κέῖται νεκροί.* — Quum versus sic correctus, etsi sententiarum nexui aptus, nimis a librorum scriptura recedat, nihil mutamus atque facile ignoscimus Euripidi in enuntiatis coniungendis interdum nimis neglegenti.

1317 *τοιούτων ὄγτε δι' Ἀχέροντος ἵνα;*  
 Kirchhoffii suspicio, hunc versum interpolatum esse facillime est ad reiiciendum; minus facile est verba corruptissima aut corrigere aut explicare. Nam versum spurium non esse docet et obscurus eius sensus (siquidem interpolatores plerumque perspicuitatem sequuntur) et praegressi versus, quia verba *ἦν περίξ ἔχει ξίφος* additamento egent. Itaque iure viri docti versum explicare et corrigere, quam in suspicionem vocare malebant. Valck. queritur, locum nonnihil obscuratum esse tenebrosa Acherontis mentione, Herm. acquiescit in Scholiastae explicatione *ὄγτε διαπέμπεσθαι διὰ τοῦ Ἀχέροντος τὴν πόλιν, καὶ ἐν μέσῳ τοῦ θανάτου αὐτὴν εἶναι*. Klotzius: „Quum summas tenebras significare vellent, etiam Latini poetae Acherusias dixerunt.“ At numquam Graeci *Ἀχέροντα* pro *σιότον* dixerunt. Accedit quod Seneca, qui (Phoen. 394) locum nostrum respexisse videtur: „vide ut atra nubes pulvere abscondat diem, fumoque similes campus in coelum erigat nebulas,“ in loco nostro nihil de Acheronte videtur invenisse. Quare Geel. coniicit *ὄγτε διὰ χειρῶν*, „reliqua praeter *διὰ χειρῶν* litura obscurata aliquem, qui putaverit Euripidem scripsisse *δι' Ἀχερο*, metrum non curantem sic supplevisse *ντος ἵνα*. Fortasse Creontem dixisse *ὄγτε διὰ χειρῶν μ' ἐχρῆν ἰδεῖν* tanta circumdatur urbs



caligine, ut viam palpando quaerere debuerim, quum filii cadaver hic portarem.“ Sed talem hyperbolam in diverbio admittere poetae non licuit. Quare fatemur, locum certa ratione restitui non posse; interpolatum eum esse sine ulla dubitatione negamus. Comparationem aliquam habent cum nostro loco haec Euripidis verba (Herc. f. 838), ubi Acherontis vox translata significatione usurpata est: *ὡς ἂν πορεύσας δι' Ἀχερούσιον πόντον Τὸν καλλίπαιδα στέφανον ἀθρόντη φόνον Γυνῆ κτλ.* „dass wenn er mordend auf die Bahn des Acheron der holden Kinder schönen Kranz geschleudert hat, er lerne“ u. s. w. (Donner).

1373 — 75 *ἀσχιστον αἰτῶν στέφανον ὁμογενῆ κτανεῖν.*

*πολλοῖς δ' ἐπήγει δάκρυα τῆς τύχης ὄση,*

*καὶ βλεψαν ἀλλήλοισι διαδόντες κόρας.*

Hos versus delendos esse Valck. persuasit Brunckio, Porsono, Matthiaeo, his imprimis argumentis fretus. Primum: „Polynicem et Eteoclem duobus singulis senariis malas suas preces circumscribere, iam eo refellitur, quod v. 1381 eiiciendum esse Valckenario non concedimus. — „Quo tandem casu, pergat ille, tantum fuit ab isto Polynice mutatus, ut hic dederori sibi fore victoriam fateretur, qui causae fretus aequitate sua venerat repetitum?“ — Immo Polynices alius nunc factus esset, si sic non diceret. Ubique enim fatetur (cfr. v. 630 sqq.), se iniuste quidem agere; statim autem adiicere solet, se cogi neque sponte bellum patriae intulisse. Num putabimus, Polynicis ingenio et moribus, quos bonos probosque a poeta fictos esse egregie demonstravit Firnh., convenire, quod atrocissima illa precatus sit nullo verbo commemorans, id se invitum et coactum facere? Quare ille versus neque omitti potest, neque nuntio assignari, ut nonnulli voluerunt *αἰτῶν* (Herm.) aut *αἰτεῖ* (Firnh.) scribentes; Geelii mutatione *ἄλγιστον* pro *ἀσχιστον* non opus est. Ceterum vix quisquam in illo versu offenderet, si post 1372 legeretur.

Quoniam alterum quoque Valckenarii argumentum: „neminem petiturum esse *στέφανον*, quem *ἀσχιστον* ipse nominet,“ eadem nostra argumentatione refutavimus, nihil restat, nisi ut ultimam eius dubitationem removeamus: „structuram *στέφανον-κτανεῖν* ferri non posse.“ Similiter e verbo quod est *στέφανος* infinitivus pendet Troad. 401 *στέφανος οὐκ ἀσχορὸς πόλει Καλῶς ὀλέσθαι.* (cfr. *ibid.* 1030 *στέφανωσον Ἑλλάδ' ἀξίως τήρδε κτανῶν σαντοῦ.*)

1374. Valck. quaerit, quinam ad Polynicis preces ploraverint, ducesne an milites gregarii, qui supra, quum Polynices oblatam a fratre condicionem accepisset, illud comprobaverint? — Herm. recte respondet, non mirum esse, milites initio gaudii plenos, ubi fratres congregientes videant, tanta atrocitate tactos mise-



veri. Si quis Hermanni verbis non contentus est, adeat Firnhaberum, qui permultis tragicorum locis docet, ne heroica quidem aetate viros dedecuisse lacrimas profunderi. Legimus, ut unum exemplum addam, Hel. 950 λέγουσιν ὡς πρὸς ἀνδρὸς εἰγενεὺς Ἐν ξυμφοραῖσι δάκρυ' ἀπ' ὀφθαλμῶν βαλεῖν. Denique Geel. miratur, „cur affectus iste significetur post Polynicis precationem, non vero post Eteoclis.“ — Aut quod illa prima erat aut aptior ad miserationem commovendam aut denique quod nuntius non iusto ordine (ut Geel. postulat) res narrat.

Deinde Valck. vituperat formulam δάκρυα ἐπιέναι. — Si dici poterat ἔρωσ ἀνδρας ἐπέρχεται (Soph. fr. 607), τοῖσιν ἐπὶ λυθῆν ἔπνος (Od. μ, 311; ε, 472) νοῦσος ἐπὶ λυθῆ μοι (ibid. λ, 200); ἡμερος ἐπὶ λυθῶν ἑμῖν (Plato), cur ille offendit in verbis πολλοῖς δ' ἐπήγει δάκρυα, quae Passovius rectissime vertit: „Vielen stiegen Thränen auf.“ —

„Denique Graece non dici δάκρυα τῆς τέχης ὄση“ contendit Valck. Verbum δάκρυα objecti genitivum asciscere posse permultis locis defenditur, ut Hec. 760 ὄρῳς νεκρὸν τόνδ' οὐ καταστᾶζω δάκρυ; — Andr. 1039 στοναχαὶ τελέων. Magis offendit ὄση genitivo additum. Saepius post verbum enuntiatii primarii, quod accusativum asciscit, sequitur ὄσος, ὄση, ὄσον, velut Soph. Aj. 118 ὄρῳς, Ὀδυσσεῦ, τὴν θεῶν ἰσχὺν ὄση. Phoen. 102 σκοπεῖ δὲ πολεμίων στρατεύμ' ὄσον.

Tamen poetae nostro haud dubie licuit rariore illa structura uti, praesertim quum scriptores prosae orationis a genitivis enuntiatum secundarium suspensum faciant, uti Thuc. I, 61 ἦλθε τοῖς Ἀθηναίοις ἡ ἀγγελία τῶν πόλεων ὅτι ἀφέστασι. Quare probanda est Scholiastae interpretatio πολλοῖς δὲ ἐπήρχετο δακρύειν ἔνεκα τῆς τέχης ὄση ἦν. Citra necessitatem Herm. pro τέχης scripsit εἰχῆς, Geelius, ut solet, summa audacia: δαῦμα τῆς τέχης ὄση.

1375. Valckenario imprimis displicent verba ἀλλήλοις διαδόντες κόρας. Recte Firnh.: „ut dici posse κόρας τινὶ δοῦναι (cfr. Or. 894), ita de pluribus, qui inter se intueantur, διαδιδόναι κόρας.“ (cfr. Plut. Philop. 19 διαδιδόντες ἀλλήλοις λόγον). Geel. pro κᾶβλεψαν coniecit κᾶκλεψαν, quod vix cuiquam placebit.

1598 καὶ τλήμων', εἴ τις ἄλλος ἀνθρώπων ἔσιν.

Valck. Graece sic dici non posse existimans pro καὶ correxit ὃ. Herm. monet legitimam loquendi rationem fuisse καὶ τλήμων' εἴ τιν' ἄλλον ἀνθρώπων ποτέ (quod Matth. voluit) vel τλήμων γὰρ, εἴ τις κτλ. Sed quaevis correctio lubrica est, quia vitiosa verborum structura non librariorum neglegentiae, sed potius sciolo poetastro deberi videtur.



Permuli versus propter ubertatem orationis editoribus suspecti visi sunt. De quibus iudicium ferentes imprimis nobis cavendum est, ne praeiudicatae nostrae opinioni, iudici saepe corruptae, nimium tribuamus. Poetae enim licet verba cumulare ornandae orationis causa, dummodo ne molesta fiant. Qua licentia Euripidem usum et iure quidem usum esse nonnullis locis demonstrabo:

Phoen. 59 μαθὼν τὰ μὰ λέκτρα μητροῶν γάμων.

ibid. 1379 δὸς ἔγχος ἡμῖν καλλίνικον ἐκ χειρὸς

εἰς στέρον' ἀδελφοῦ τῆσδ' ἀπ' ὠλένης βαλεῖν.

Hel. 530 φησὶ δ' ἐν φάει Πόσιν τὸν ἀμὸν ζῶντα φέγγος εἰσορᾶν.

ibid. 1372 κατθανόντα δ' ἐν χθονὶ οὐ φησιν ἀγὰς εἰσορᾶν  
ἐμὴν χάριν.

Hec. 323 γραῖται γυναῖκες ἠδὲ πρεσβῦται.

ibid. 525 λεκτοὶ τ' Ἀχαιῶν ἔκκριτοι νεανία.

Or. 72 μακρὸν μῆκος χρόνον. — Hipp. 1071 εἰ δὴ κακός γε φαί-

νομαι δοκῶ τέ σοι. — El. 964 τὴν τεκοῦσαν ἢ μ' ἐγεί-

νατο (tales dicendi formulae sextenties inveniuntur).

Suppl. 573 πολλοὺς ἔτλην δὴ χιόνους ἄλλους πόνους.

Troad. 1157 λυπρὸν θάμα καὶ φίλον λείσσειν ἔμοι.

Or. 50 et 442 λεσίμω πετρώματι. — Sed haec hactenus. Innumerabiles quosdam locos afferri posse facile quis intelligit.

51 et 52 ὄθεν τύραννος τῆσδε γῆς καθίσταται,

καὶ σκῆπτρ' ἔπαθλα τῆσδε λαμβάνει χθονός.

Verborum ubertatem altero versu delendo resecare tentarunt viri docti. Valck. impugnat primum verbum ἔπαθλα, commotus imprimis hoc scholio καὶ σκῆπτρ' ἔπαθλα ἐπ' οὐδενὶ κείται τὸ „Ἐπαθλα“ ἢ μόνω τῷ Εὐριπίδῃ· ὄθεν μεταγράφουσι τινες· τὸ δὲ ἔξῃς· καὶ σκῆπτρα χώρας τῆσδ' ὡς ἄθλα λαμβάνει. Unde nihil elucet nisi nonnullos criticos pro raro vocabulo ἔπαθλα restituere voluisse ἄθλα; totum versum expungendum esse Scholiasta non censuit. — Pergit Valck.: „ineptam fore eiusdem sententiae repetitionem neque solere Euripidem isto modo ταύτολογεῖν imprimis in diversis versibus.“ Firmh., quem hic iure Geel. perstringit, nimis audacter: Euripidem innumerabiles quosdam locos habere, id nunc extra dubitationem esse, ita ut exemplis afferendis supersedere possit. Mihi enim omnes fabulas Euripideas diligentissime pervestiganti perpauca tantum deprehendere contigit, velut Ion. 49 sqq. τὸν σπείραντα δὲ Οὐκ οἶδε Φοῖβον οὐδὲ μητέρα ἧς ἔφω

Ὁ παῖς τε τοὺς τεκόντας οὐκ ἐπίσταται



quorum posteriore facile carere possumus. Non minus verborum turba offendit  
Suppl. 297

οὔτοι σιωπῶσ' εἶτα μέφομαι ποτε  
τὴν νῦν σιωπῆν ὡς ἐσιγήθη κακῶς.

cf. praeterea Ion. 725 sq. Hec. 968 et 972.

Denique Valck. nescio qua de causa offendit in voce ὄθεν, quae „quum in aliquot millenis Euripidis versibus ne decies quidem inveniatur, hic intra paucos versus ter repetatur.“ Fortasse errore „decies“ pro „centies“ scripsit; nam notanti mihi, ut Valckenarium refellerem, locos ὄθεν illa significatione exhibentes, brevi tot occurrerunt, ut susceptum opus quippe molestum atque inutile omitterem.

Alterum versum delevit Bergk, comprobante G. Dindorfio (cf. Ann. Ant. Gr. 1835 p. 964), commotus novitio vocabulo ἔπαθλα. Nonne poeta in eadem hac fabula novavit συνασοφεῖν (v. 394) ἐκπροκρίνειν (v. 214) σύγγαμος pro ὁ ταύτῃ ἡμέρα γαμῶν (v. 429) et si optimorum codd. fidei credimus ἀμφιτροχῆ (v. 325)? Ceterum vox ἔπαθλον apud posteriores scriptores, imprimis apud Plutarchum, saepius exstat, velut Flam. 15 ἐπετίμησεν ἕπατον, εἰ νενικηκῶς αὐτὸς τὰ ἔπαθλα τοῦ πολέμου Φίλιππον ἐξ ἑρέσθαι. — Denique hunc versum propterea servemus, quia Seneca eum imitatus esse videtur (Oed. 104): laudis hoc pretium tibi Sceptum et peremtiae Sphingis haec merces datur.

325 ἀπεπλος φαρῶν λευκῶν, τέκνον.

Hunc versum ex alia tragoedia invectum videri, quia Iocasta his diversis verbis enuntiet, se vestes mutasse, temere contendit Hartungus. Euripides enim millies eandem sententiam et negantibus et affirmantibus vocabulis circumscrispsit, velut Hec. πληρῆς στεναγμῶν οὐδὲ δακρύων κενός.

Accedit, quod φαρῶν omitti non potest, si versu sq. non ἀμφὶ τροχῆ sed ἀμφιτροχῆ scribimus, quod codex A exhibet et Hesychius explicat κατεργωτότα; tunc enim nomen substantivum deesset, ad quod adiectivorum turba referenda est.

477 ἐξήλθον ἔξω τῆσδ' ἐκὼν αὐτὸς χθονός.

Hunc quoque versum damnavit Hartung., qui non modo non offendit, sed ne deesse quidem potest, quia Polynici hoc loco commemorandum est, se ultro ac sua sponte patriam reliquisse, ut domui salutem redderet. Accedit quod expuncto illo versu, quum vv. 474—480 unum efficiant enuntiatum participiis onustum, oratio satis impedita atque intricata fit.

487 οἰκεῖν δὲ τὸν ἐμὸν οἶκον ἀνὰ μέρος λαβῶν.

Valck.: „hunc versum ex Euripideis quidem conflatum esse nec tamen Euripidis esse





hac sede.“ Recte opponit Herm., sequentem versum, ut Valck. voluit, non com-  
mode ad *τάμαντοῦ* (v. 485) referri posse. Quamquam Geelio concedo, vv. 487 et  
488 repetitionem quandam continentes disiungere, quae cohaerere videantur, (dimit-  
tam exercitum nec urbem diripiam) tamen eos servo, quia de industria poeta Poly-  
nicem, quibus conditionibus a bello desistere velit, repentem facere videtur.

946 ἀρέσταιος ἔκ τε μητρὸς ἀρσένων τ' ἄπο.  
Geel. „addubitat *γησιόνητα*“ huius versus, „quod satis fuerit, si Creontis filiiis de  
Spartorum stirpe sit, communi significatione.“ Fortasse hunc versum Euripideum  
fuisse in alia eius fabula et a sedulo lectore huc insertum esse.“ — Risus mihi  
obortus est legenti, quanta ingenii sagacitate Geel. Creontis originem detegere stu-  
deat, quum clara poetae verba doceant, illum a Sparti oriundum fuisse; et ut  
Creon inde oriundus non fuisset, tamen fingere id poetae licebat, qui in angustiis  
erat, quomodo Menoecei mortem fabulae insereret. Itaque versum uni Geelio su-  
spectum de industria adiectum esse a poeta interpretes ad unum omnes intellexe-  
runt.

949 καὶ μὴ γὰρ ἐννῆς ἦψα', ἀλλ' ἔχει λέχος.  
Modo dixi, poetam in angustiis fuisse, qua ratione demonstraret, ipsum Menoe-  
ceum, (cuius mortem apud Soph. [Antigona 1303] obscure significatam invenerat)  
non Haemonem immolandum esse. Argumenta quaerenti tandem in mentem venit,  
Haemonem utpote adolescentem desponsatum atque Veneris vi victum non tam ca-  
stum esse, quam Menoeceum natu minorem et paene puerum. Quare poetae con-  
donanda est artificiosa et subtilis argumentandi ratio, quae eum coegit, ut nonnullis  
vocalibus insolentem significationem tribueret. Haec non reputans Valck. illum ver-  
sum, qui quidem glossae speciem prae se fert, eiecit atque sic fere disseruit: „In-  
sulsam fraudem patefacere potuisset interpretatio: quamvis enim non attigerit lectum,  
tamen habet lectum. Quomodo autem dici poterat Haemon *ὄνξ ἦθεος*, siquidem  
virginem non attigerat?“ — Sed poetae verba non premenda sunt, quae fere  
hanc exhibent sententiam: etsi non maritus, tamen desponsatus est. Nullo autem  
modo deesse potest hic versus, qui de industria additus est ab Euripide, ne prae-  
gressa verba *ὄν γὰρ ἐστ' ἦθεος* proprio sensu intelligerent auditores. Nam quum  
*ἦθεος* ubique adolescentem Veneris coniugiique rudem significet, quumque *ὄνξ*  
*ἦθεος* nominetur Haemon, nisi illud epitheton hic latius pateret, vitiatam ab Hac-  
mone ante nuptias fuisse Antigona oporteret. De hac re poetam Antigona inge-  
nium atque mores ad exemplum Sophocleae fingentem cogitare non potuisse, fusius  
demonstravit Firnhaberus. Quodsi concedendum est, *ὄνξ ἦθεον* hoc loco nihil



aliud significare nisi „adolestem desponsatum,“ minus offendemus in loquendi ratione, qua Eur. versu sq. usus est.

Valck. nescio qua de causa vituperat *ἐννῆς ἀψασθαι*, „quod neque Eurip. neque alius poeta Atticus dixerit.“ Concedit tamen „*ἀπτεσθαι* hoc frequentatum fuisse Graecis.“ — Sed apud Euripidem quoque simillimi loci inveniuntur, qui formulam illam satis defendant: Hipp. 885 et El. 255 *ἐννῆς θυγεῖν*, Hipp. 1026 *ἀψασθαι γάμων*. — Magis offendunt primo obtutu verba *οὐκ ἔχει λέχος*, quae non ut alias significant: „non habet uxorem“ sed potius „non habet sponsam.“ Valck. autem, vir in antiquis scriptis multum volutatus, scire debebat, *λέχος* et *λέκτρα* alias apud Eur. dici de uxore designata. Iason (Med. 594), quamquam nuptias nondum celebraverat, dicit: *εὖ νῦν τόδ' ἴσθι, μὴ γυναικὸς οἴνεκα Γῆμαί με λέκτρα βασιλέων ἂ νῦν ἔχω*. Hel. 1634 Theoclymenus de Helena, cuius torum nondum occupaverat: *τάμα λέκτρα ἄλλω διδοῦσα*. Dicitur de Achille Iph. Aul. 124 *πῶς Ἀχιλεὺς λέκτρων ἀπλακῶν Οὐ μέγα φροσῶν θυμὸν ἐπαρεῖ*, ubi vertimus: „Achilles sponsa privatus.“ — Cfr. praeterea Med. 568, El. 1021, Soph. Ant. 573 *ἄγαν γε λυπεῖς καὶ σὸν καὶ τὸ σὸν λέχος*. Notandum denique imprimis Phoen. 1590 *διδούς Ἀίμονι κόρης τε λέκτρον Ἀντιγόνης σέθεν*. Si narratur ibi Eteoclem Haemoni dedisse Antigoniae torum, hoc loco dicere licuit *ἔχει λέκτρον*. — Totum igitur locum sic explico: Haemonis sponsalia mactationem prohibent; non enim ille est adolescens Veneris expers. Nam etiamsi torum non tetigit, tamen habet sponsam sibi uxorem destinatam.

1367 *δισσὸν στρατηγὸν καὶ διπλῶν στρατηλάται*.

Tandem aliquando non possum non Valckenarii suspicionibus ex animi sententia assentiri; quamvis semper alias pro mea parte orationis ubertatem defendendam esse duxerim, talis nullo modo admitti potest. Nullum enim discrimen inter vocabula *στρατηγός* et *στρατηλάτης*, quod Firnh. et Geel. voluerunt, intercedere, statim satis demonstrabo. Herm. frustra exemplorum turbam cumulavit, ut ostenderet, „luxuriari tragicos in mentione duplicitatis,“ quae in nostrum locum non quadrare demonstravit Geelius. Valck., ut erat vir amplissima lectione insignis, ingeniose suspicatur interpolatorem hunc versum conflasse ex duobus Sophocleis Phil. 264 et 790, ubi Atridae gemini *δισσοὶ στρατηγοὶ* et *διπλοὶ στρατηλάται* dicuntur. Profecto etiam hic in Valckenarii sententiam non irem, si versum certa ratione corrigi posse viderem.

Firnh. coniicit *διπλοὶ στρατηλάται* totumque locum sic explicat: utriusque exercitus duces fratres in pugnae locum comitatos esse, ut eos adiuvarent. Similiter



Geel. καί in τὸ mutato: „ceteros duces fratres in medium μεταίχιμον constituisse, postquam (ut Hector et Ulixes Il. γ. 314) pugnae locum dimensi sint.“ — Quae interpretatio, etsi ei qui obiter rem intuetur probabilis videtur, satis lubrica est. Primum iam Valck. rectissime monuit, vv. 1366 et 1368 male distrahi; deinde non est, cur statuamus, ἀλλήν aliud quid significare quam ἀγῶνα, (cfr. 421 στραωνῆς ἐς ἀλλήν οὔνεα ἤλθομεν πέρι) praesertim quum reliqui duces pugnantibus nullo modo prodesse potuerint. Denique Noster vocabula στρατηγός et στρατηλάτης ubique promiscue usurpat, prout metro unum alterumve convenit. Nam Heracl. 391 et 465 de eodem Eurystheo, summo belli duce, dicitur et στρατηγεῖν et στρατηλατεῖν. Agamemno tota fabula, quae Orestes inscripta est, στρατηλάτης appellatur; cfr. praeterea El. 328, 917, 1082; Suppl. 102; Hel. 395. Longum est plura exempla adscribere et coniecturas criticorum pluribus refellere; illud tamen sine ulla dubitatione affirmaverim, auditores illum locum a Geelio et Firnhabero correctum non intellecturos fuisse. Ἔστῃσαν autem hoc loco aoristum II esse apparet e simillimo loco Heracl. v. 803 ἔστη μέσοισιν ἐν μεταιχιμοῖς δορός.

Alii (Kirchh. et Nauck.) v. 1365 utpote e v. 1250 huc retractum deleverunt servantes illum, de quo modo disputavimus. Ego potius ambos suppositos esse crediderim, ut lacunam, quam librarii hic deprehendisse sibi visi erant, supplerent. Poeta enim fratrum nomina non denuo commemoravit, quum e quaestione Creontis v. 1359 (πῶς καὶ πέπρακται διπύχων παίδων φόνος) et e nuntii verbis v. 1364 (ἐπεὶ δὲ χαλκείος σῶμ' ἐχοσμήσανθ' ὄπλοις) satis appareat, de quibus sermo fiat. Praeterea nullam causam reperio, quomodo duo versus suspecti in unum eundemque locum irrepere potuerint.

1600 sq. ἄγονον Ἀπόλλων Λαῖψ μ' ἐδέσπισεν  
φονέα γενέσθαι πατρός· ὃ τάλας ἐγώ.

Utrumque versum Hartungus sic in unum contrahit: φονέα γενέσθαι πατρός θεσπίζει θεός. „Vocabulum ἄγονον interpretationis causa adscriptum ad corrumpenda reliqua ansam dedisse, atque verba ὃ τάλας ἐγώ lacunae explendae causa adiecta videri.“ At Hart. neque originem illorum versuum satis explicavit, neque Valckenarii argumentum, quo nihil mutandum esse docuit, refellit. Aeschylus enim, ut ille rectissime monet, in Ar. Ranis 1214 Euripidis verba (initio Antigoniae) ἦν Οἰδίπους τὸ πρῶνον εὐνυχῆς ἀνὴρ iocose interpellans dicit: Μὰ τὸν Δί', οὐ δὴν· ἀλλὰ κακοδαίμων φόνει Ὀντινά γε, πρὶν φῦναι, μὲν ὠπόλλων ἔφη Ἀποκτανεῖν τὸν πατέρα, πρὶν καὶ γεγόνεναί. Si quis tautologiam, quae est in verbis πρὶν φῦναι — πρὶν γεγόνεναί agnoscit, Aeschylum hunc Euripideum locum



perstringere voluisse non infitiabitur. Ceterum recte Thierschius monuit (Gr. Gr. p. 588), ἄγονον additamentum propterea excusandum esse, quod hoc unum verbum totius praegressi versus argumentum complectatur.

Accedamus nunc ad eos versus, qui, quum ornandae orationis causa inserti videantur, interpolationis speciem quodammodo prae se ferunt. Cavendum autem est, ne nimiam fidem habeamus ingenii nostri sagacitati, siquidem poetae est versus ornare et prosae orationis exilitatem atque ieiunitatem quam maxime evitare. Quare illos tantum recidamus, qui ornamentis onusti aut modum poetae praescriptum egrediuntur aut cum proximis pugnant.

Primum examinemus, num nuntii oratio (1097 sqq.) tot versibus interpolatis abundet, quot Valck. nobis persuadere studet. (Ne res arte cohaerentes distrahamus, eos quoque locos hic tractabo, qui explicationis gratia additi esse videntur et pro instituto operis mei alii loco assignandi erant.)

1123 — 1125 τὰ μὲν σὺν ἄστρον ἐπιτολαῖσιν ὄμματα  
 βλέποντα τὰ δὲ χρέπτοντα δυνόντων μέτα,  
 ὡς ἕστερον θανάτος εἰσορᾶν παρῆν.

Post v. 1122 Herm. lacunam esse contendit, quia nomen Argi desideretur atque e pluribus scholiis eluceat, Argi canem quoque in scuto pictum fuisse. Recte opponit Geelius: „epitheton *πανόπτῃν* hoc loco suffecisse (ut apud Panofkam prope Argi caput litteras *ILANOII* nominis proprio loco inveniri); Argum autem canem Ius custodem nominari, illud videri commentum enarratorum, qui aliquo modo Ulixis canem cognominem cum Panopta confuderint.“ Nihilominus idem ille lacunam statuit, „quod ratio cogitari nequeat, cur Eur. finxerit Panoptam solum sine vacca, quam custodiat. Etenim demum vacca adiuncta perfici plane necessariam σημείον significationem.“ — Sed cur non solus pastor ille Argus optimum Argivorum insigne esse potuerit?

Difficultatibus abundant sequentes duo versus, qui ad verbum versi sic sonant: „Oculi alii sideribus orientibus aperti, alii occidentibus illis clausi erant.“ Ita ergo interdiu Argus nihil vidisset. Plane absurda est Scholiastae Augustani codicis, explicatio Geelio probata, qui oculos ad orientem et ad occidentem conversos distingui putat, quod Argus sic in altera corporis parte oculos clausos habens non plus quam alius homo vidisset. Praeterea verba *σὺν ἄστρον ἐπιτολαῖσιν* — *δυνόντων μέτα* ad tempus, non ad coeli regionem referenda esse dilucide apparet. — Intelligimus igitur, aut *βλέποντα* aut *χρέπτοντα* mutandum esse. Geel. putavit *βλέποντα* rectam lectionem *ὄγοντα* vel *δεικνύντα* de contextu depulisse. Herm. pro illo verbo con-



iecit κλείοντα, quod mihi displicet, quia primum nimis recedit a librorum vestigiis et βλέποντα huic loco accommodatum videtur; deinde κρύπτοντα manet, quod nusquam de oculis clausis usurpatum est. Quare Valck. πίπτοντα e scholio recepit non reputans, sic loci sententiam non sanari. Et sensui et litterarum tractibus convenit, quod equidem (cum Kirchhoffio) conieci ἀγρυνόντα, olim fortasse a librario litterarum formas non intelligente in κρύπτοντα mutatum. — Quaeramus denique, quomodo illa verba grammaticae rationi satisfaciant. Quae participia quum non, ut nonnulli voluerunt, accusativi singularis numeri esse possint, absolute dicta accipiamus et cum scholiasta quodam ἐπιήροον vel ἴν tacite suppleamus. Mira sunt Hartungi verba (l. 1.), qui paullo post (Eur. rest. II. p. 466) hunc locum sine offensione legit lectionem πίπτοντα recipiens: „Homo insulsus, qui haec effutivit, arma virorum fortium tamquam crepundia puerorum machinis instruere amavit.“ — Ubinam crepundia? An vir doctus putat, Argi oculos arte sic fuisse constructos, ut vicissim et aperirentur et clauderentur? Quis est qui unquam apud classicos scriptores legerit, clypeos ad corpus tegendum ex aere solido vel alio metallo confectos eiusmodi machinis ornatus fuisse? Nihil enim valet locus Rhesi (384), ubi narratur scuta tintinnabulis fuisse exstructa (nisi, ut nonnulli voluerunt, tubarum sonitus intelligendus est). Immo locus sic explicandus est, ut statuamus, nuntium clypeum contemplantem fabulae memorem illam rem notissimam paucis tangere et, quae videre non potuit, cogitatione sibi finxisse, velut infra v. 1139 narrat, gigantem in Campani scuto urbem, quam humeris portaverit, vectibus funditus evellisse; hoc quoque suspicari tantum potuit, persuasum sibi habens, aliter id fieri non potuisse. Quare duo hi versus, quos iam Eustathius legit (ad II. β p. 138), nullo modo delendi sunt. Eadem affirmare nolim de versu sequente, iam Valckenario iure suspecto, quem glossatoris additamentum esse statim apparet. Poeta enim si hunc versum composuisset, Hippomedontis mortem in sqq. non minus accurate, quam Parthenopaei et Capanei descripsisset vel paucis quidem verbis tetigisset. Atque ille versus plane repugnat versui 1146 sq. παρῆν δ' ἐκάστον τῶνδ' ἐμοὶ θεάματα Ξένδημα παραφέροντι ποιμέσιν λόχων, quibus poeta omnium ducum insignibus descriptis explicat, quomodo nuntius illa tam accurate novisse potuerit. Quae neglegens hanc fere explicationem lector quidam in margine adscripsit: ἕστερον θανόντος αὐτοῦ εἰσορῶν παρῆν, quae verba librarius, versus mutilati reliquias deprehendisse sibi visus, metro aptavit atque in textum recepit.

1134 sq. εἰ πως στροφίγξιν ἔνδοθεν κνκλούμεναι  
πόρταχ' ἐπ' αὐτόν, ὥστε μάλνεσθαι δοξεῖν.



Quamvis valde reluctet, tamen assentiri cogor Hartungo, qui solus hos duos versus in suspicionem vocare ausus est: „interpolatorem studuisse admirabilem reddere clypeum Polynicis, hoc scilicet quaerentem, ut equi furibundi et pavore consternati non viderentur tantum grassari, sed revera grassarentur.“ — Ne hoc Hartungo concederem, huc illuc tergiversabar, persuadere mihi studens, poetas saepe artificia tamquam animantia descripsisse (cfr. Hom. II. λ, 635 *δοικὶ δὲ πελειάδες ἀμφὶς ἕκαστον Χρῦσεια νεμέθοντο*); sed in hunc locum ille mos non quadrat. Nam si quis imprimis haec verba *στροφίγξιν — αὐτόν* ponderat, non negabit, versificatorem de machinis quibusdam loqui; *στροφίγγες* enim semper cardines, numquam saltus vel turbines significant. Quare quum antea negaverim, heroum scuta umquam „talibus crepundiis“ fuisse ornata, ne mecum pugnare videar, hos versus utpote posterioris interpolatoris additamentum damnare cogor. Mirandum est, omnes interpretes his difficultatibus expediendis, quas in versibus inesse quisque concedet, locum nulla annotatione dignantes supersedisisse.

1140 *ἑπόνοϊαν ἡμῖν οἷα πείσεται πόλις.*

Valckenario, comprobante solo Hartungo, hic quoque versus, „si quis alius, sapere interpolatoris ingenium atque fortasse ab eo tornatus videtur, cui debemus v. 1125 *ὧς ὕστερον κτλ.*“ — Firnh. iure opponit: nuntios Euripideos (cfr. 1226) nusquam praetermittere, de iis, quae narrant, suum iudicium ferre. Accedit, quod Euripides Capanei minas, quae in proverbium quasi abierunt atque ab aliis poetis (Soph. O. C. 1318 *ὁ πέμπτος δ' ἔρχεται κατασκαφῇ Καπανέως τὸ Θήβης ἄστρῳ δηόσειν πύρρῳ*) commemorabantur, hic negligere noluisse videtur, ut supra v. 179 de illo dixerat: *ποῦ δ' ὄς τὰ δεινὰ τῆδ' ἐφ' ἐβροῖζει πόλει Καπανέως*; v. 186 *ὄδ' ἐστίν, ἀγχιλωτίδας Ὅς δορὶ Θηβαίας Μυκήρσιον [ἔρχεται] Λεοναῖα τε δώσειν τρι-αῖνα κτλ.*

1142 *ἑκατὸν ἐχίδνας ἀσπίδ' ἐκπληρῶν γραφῇ*

*ἕδρας ἔχων λαιοῖσιν ἐν βραχίουσιν*

*Ἄργεῖον ἀνγρῆ.*

